

TENTAMEN INAUGURALE,
6

QUAEDAM

DE

VULNERIBUS SCLOPPETICIS
EXTREMITATUM

COMPLECTENS.

AUCTORE ANDREA THOMPSON.

AB primis diebus, quando milites pulvere nitrato, bello exardente, uti cooperunt, complures chirurgi conati sunt recensere phaenomena horum vulnerum, de quibus nunc sumus scripturi; sed olim auctores medici gravissime videntur erravisse de natura eorum, ea esse semper vitiata veneno credentes, quod saepe rigoribus, syncope, et aliis affectionibus generis nervosi comitantur;

[1817]



ideoque laminas candentes partibus laesis adhibere, et situm vulneris oleo bulliente et terebinthina adurere solebant: usque Parè, ille celeber chirurgus, dederat animum ad ea investiganda; ille primus omnium, haec dira et periculosa remedia omisit, et clarissime errores priorum hos morbos tractando ostendit.

Bella sanguinea, quae nuper in Europa, et nonnullis aliis partibus orbis terrarum gerebantur, chirurgis militaribus multum de vulneribus scloppeticis suppeditabant; unde potuerunt plurimum scientiae utilissimae acervo prius collecto de hac re adjicere. Ex horum scriptis, maxime, quaedam de vulneribus extremitatum pro argumento Dissertationis meae Inauguralis conabor colligere, quod spatium hujus opusculi, de illis totius corporis humani, prohibet tractare. Etiam inductus sum agere de iis, quia dum

fui Chirurgus Secundus Legionis Trigesimae Quartae peditum, tres annos in Hispania et Gallia, multa exempla sese mihi obtulerunt, et quibus sedulo mentem meam incubui.

Aliud me inducit de his vulneribus agere, nempe quod, lites inter chirurgos saepe ortae sunt de amputatione in campo praelii.

Auctores verbis sequentibus vulnus delineant: “Soluta unio recens, cruenta, partis mollis, a corpore duro moto.”

Haec definitio mihi videtur bene selecta esse, ut *integra sanitate*, omnes partes molles corporis, vasis sanguineis innumeris, suppeditantur, et praeditae sunt vi resiliendi, deinde quamprimum unio soluta est, margines vulneris mutuo a se recedunt, et sanguis plus aut minus e vasis exit, sed ex his

vulneribus plerumque in exigua quantitate, effluit.

Primo aspectu, maximi momenti est scire chirurgo, quantum detrimenti, laeso membro a vulnere efficitur. Sed infeliciter, vulneratas est difficillimum cognoscere partes, quod quidem horum inter phaenomena vulnerum, maxime extat insigne, priusquam suppuratio accedit, et partes mortuæ incipiunt decidere. Vis, qua res sunt adactae contra corpus, ita structuram partium vicinarum, laedit, functionesque ab earum integritate pendentes, ut symptomata haud sese ostendere possunt, quibus, pro certo, natura eorum sit cognita, nam saepe aeger nullum dolorem, vel nihil aliud quam stuporem artus sentit.

Haec vulnera induunt species secundum magnitudinem et genus causarum, ab qui-

bus origines ducunt; quippe hae insigniter
discrepant, quales glandes e scolloppo projec-
tae, vel globi ferrei e tormentis explosi, et
aliquando fragmenta ligni, lapidum, &c.

Haec vulnera, rarissime, inflammatione
adhaesiva, sanantur, propterea quod, vi vi-
tali partis laesae perdita, nova actione opus
est, ad reparandum damnum substantiae
amissae. Natura hanc rem peragit granu-
lationibus, ut nunc dicuntur, quae, serius
vel oxyus, infra partem mortuam, enascun-
tur, et sensim cavum vulneris implet, quod
postremo cicatrice obducitur.

Quando vulnus uno orificio tantum in-
struitur, plerumque corpora aliena reperta
sunt in eo latentia: haec praesertim, si
scabra, semper dolorem, spasmos extremi-
tatis, et nonnunquam fluxum sanguinis,
procreant; sic sanationem morantur, et cer-

te jure maximam attentionem chirurgi vindicant.

Vulneribus duo orificia habentibus, apertura qua globus penetraverit, queat dignosciri ab alia, nam angustior est, et pars videtur quasi depressa, dum alia grandior est, et pars circumdata formam conicam induit; sed pro rata parte, facilior sanatu.

Vulnus, quod ab tormentis displosis oriatur, profecto gravissimum est, et valde dissimile est, aliis supra dictis; in his plerumque artus penitus ab corpore sejungitur, vel partes molles ab osse lacerantur, quod longe lateque frangitur, genus nervosum valde perturbatur, aegri vultus fit pallidus, laberat magna anxietate: et nonnullis casibus *facies Hippocratica* adest, pulsus parvus est, summa cutis gelido madore obducta est, et brevi tempore amica mors finem aerumnis

eius imponit. In his exemplis raro accidit, ut sanguis ex ore vulneris ulla copia profluit, nam in hocce situ vidi multos sauciatos in certamine de *Vittoria* (ut dicitur) et aliis praeliis, et secundo die post pugnam *Orthez*, militem e legionibus Gallorum reperi, cui crus infra genu direptum erat, ictu globi tormenti, et nulla haemorrhagia sequuta intervallo, quamvis nihil factum erat ad hanc rem praeveniendam.

Haemorrhagia, rarissime ostendens sese, statim vulnere inficto, habetur pendere, ab lateribus arteriarum arctissime appositis, et vi resiliendi in substantia cellulari respondentibus sese; his modis oscula earum clauduntur, quae postea cuneolo sanguinis coacti implentur.—Artus incisus semper hanc speciem ostendit. Attamen non dubitandum est, quin commotio, qua corpus afficitur, compescere fluxum sanguinis op-

tuletur. Quamprimum inflammatio supervenit, vasa a torpore reviviscunt, et partes sphacelo affectae una cum coacto sanguinis posito in ostiis arteriarum decidunt, inter suppurrandum; deinde nihil superest ad fluxum sanguinis praeveniendum, ruit insigni vi, et brevi mortem inducturus, nisi propria remedia usurpata sint, in ipso temporis articulo.

Nunc liceat mihi in hoc loco narrare exempla duo quae vidi.

Primum. Praefectus militaris vulnus scloppeticum accepit, quod injuriam populi ferebat, sed tunc temporis quantitas sanguinis amissa quidem fuit adeo parva, ut vulnus leviter sanatum erat. Infelix postea convaluit usque circiter sextum diem, quum haemorrhagia valde profusa supervenit. In hoc statu rerum, artus fuit sublatus manu

chirurgi, unicum remedium servandi vitam aegri. Situ vulneris postea secto scalpello, arteria poplitea laesa apparebat.

Secundum. Casus sequens ob raritatem ejus, mihi videtur, hoc loco narratione dignus. Miles glande plumbea emissa vulneratus est, quae os femoris circiter medium partem fregit ; pars ossis laesa usitatis rebus celeriter sanata erat, sed una nocte, sex hebdomadas post injuriam acceptam, ingens fluxus sanguinis accessit, et mane in lecto defunctus fuit inventus. Dissectio femoris in hoc exemplo frustum asperum ossis patefecit, contra quod, vi micandi, arteria femoralis per tunicas ejus omnino atterebat ; sic mortis causa manifesta fuit.

RATIO MEDENDI.

Primum consilium ad vulnera sanandum, est, corpora aliena illico ab partibus inter quas adacta auferre, digitis vel ope forcipis, si ea possunt pertingi; propterea quod, dum haec infixa in vulnera supersunt, vix et ne vix quidem id possit valere. Attamen si latent profunda, et magnae incisurae exiguntur cultro, priusquam queant extraхи, deinde melius est expectare usque suppurationis supervenit, quum tum facile segregantur; postea quies danda est artui; et cataplasma calidum parti affectae, ad festinandum separationem escharae, assiduo debet applicari.

Si symptomata inflammationis violentiae postea supervenirent, sanguis detrahendus

est, catharticis lenibus solicitanda est alvus, et alia remedia, quae idonea sunt in morbis ordinis phlegmasiarum, adhibenda sunt.

Quando tumor, rubor, et alia indicia inflammationis desinunt, granulationes in vulnere enascuntur, pus perducitur, et potissimum si debilitas adsit, deinde licet adhibere cinchonam cum acido sulphurico: victum oportet esse nutrientem, et paucocyathi vini generosi quotidie prosunt.

Si remedia jamjam dicta perite adhibita fuerint, plerumque brevi tempore aeger gaudebit sanitate, dummodo partes musculosae et integumenta tantum laesa fuissent.

Dum fluxus sanguinis raro in his vulneribus superveniat, sedulo debemus quaerere, sive an truncus, an rami arteriarum, laesi fuerint; et si ita res se habeat, illico tena-

culo appendantur, et rite ligatura circum-
dentur; et aliquando necesse erit vulnus
ampliandum, priusquam hoc remedium ad-
hibere possumus.

Nonnulli auctores suadent, omnia haec
vulnera scalpello aperiri, consilio ut dicunt
a symptomatis periculosis cavendi, et cura-
tionem festinandi; et certe ad corpora ali-
ena extrahenda, vel ligaturam vasis laesis
adhibendam, incisiones aliquando postulan-
tur; sed, me judice, nisi in his exemplis,
nunquam debent adhiberi.

QUAEDAM DE AMPUTATIONE ARTUUM.

Ex omnibus remediiis, quae in auxilium
vocata sunt, ad vulnera sananda, nulla jure
habenda tam magni momenti quam quaestio

de amputatione membra in campo praelii,
et de qua nunc pervenimus tractare.

De hac diu acriter erat litigatum apud chirurgos celeberrimos, et etiam ad hunc diem credo perpaucos esse, qui omnino de hac re convenient; scilicet sive artus debet tolli arte *sine mora*, antea febris symptomatica supervenit, sive tribus hebdomadis praeteritis post injuriam receptam.

Rebus ita sese habentibus, experientia sola possit hanc litem componere, et ni fallor, observationes eximiae M. Larrey, Primi Chirurgi in exercitu Galliae, in opere vocato “*Campagnes et Memoires de Chirurgie Militaire*,” et etiam Domini Guthrie *, viri, sine dubio, experti in arte chirurgica, qui perspicue ostenderunt necessitatem amputandi artus in campo praelii.

* Guthrie on Gun-shot Wounds.

Quamprimum miles vulnus acceperit, multa diligenter consideranda sunt, qualia natura partis regionis in qua pugnatur, et commoda derivata sauciatis in hoc situ, &c. priusquam chirurgus debet configere ad detruncandum membrum ; quia, ut est longe gravissima operatio omnium in arte medica, ideoque certe nunquam debet perfici nisi periculum mortis avertere. Si nulla spes servandi membrum restat, sed quodam tempore futuro amputandum est, credo plerosque chirurgos, saltem Exercitus Britannici, his diebus in hoc convenire, nempe, officium esse perficere amputationem, inter spatium viginti quatuor horarum, ab tempore quo vulnus acceptum erat. Haud pauca argumenta sese offerunt hanc sententiam sustinere.

Primo. Vulnus quod longo tempore non potuit sanari, et sine aerumnis acer-

bissimis et anxietate aegri, mutatur in unum quod brevi convaluit; ob quam causam, periculum haemorrhagiae, gangraenae nosocomialis, turbaeque morborum, quae oriuntur in aedibus confertis hominibus sauciatis, evitantur: et dignum est notatu, hanc operationem saepe efficere, Tetanus quo minus superveniat.

Secundo. Debemus in animis versari perattente, molestiam vehendi infortunatos equis et vehiculis ab campo certaminis ad nosocomium militare, fortasse iter longum, et intempestate coeli, per vias asperas, et dolorem quem miserrimus patitur, ab ossibus fractis disjunctis, quassatione currus.

Tertio. Quando milites in manibus hostium cogimur linquere; nam hi viri qui amputationem toleraverunt, priusquam auxilio chirurgi adjuvantur, nonnullos dies, mi-

nore incommodo, quam aliter possunt restare.

His rebus perpensis, nunc ordine proximo pergo disserere in paucis verbis de casibus opem cultri postulantibus. De hac re, inter omnes medicos, sive monent amputacionem perfici sine mora, sive aliter, satis convenit.

Primo. Si quando portio artus omnino ab alia parte dilaceratur, globo tormenti, vel alia causa ; tum hac operatione opus est, quippe scissurae quae exiguntur, scindendo superficies inequales muscularum et ossium, non minus dolorificae sunt, quam amputatio, et etiam vulnus citius sanabitur.

Secundo. Fractura ossis femoris vel brachii, et eodem tempore vulnera arteriae femoralis vel brachialis comitante ; tum am-

putatio est unica spes servandi vitam miseri.

Tertio. Fractura amborum ossium cruris, et maxime si erit conjuncta cum plaga arteriae tibialis anticae vel posticae, quod plerumque accidit: quia experientia facit nos certiores gangraenam cruris supervenire.

Quarto. Vulnera articulorum majorum. Quoniam bene notum est omnibus quantum periculi vitae accedit, quum inflammatio has partes occupavit, et sensibilitas earum tam magna est, ut contactus aëris solum, symptomata periculosa creat. Doctor Monroe tertius, ille eruditus et illustris Professor de Anatomia et Chirurgia, clare hanc rem ostendit in praelectionibus.

Quinto. Magna parte muscularum cum

vasis insignibus artus laesis ; quamvis os patitur nullam injuriam.

Postremo. Dominus Guthrie opinatur, ubi et arteria et vena femoralis glande plumbea vulnerantur, rami anastomatici parum valent sustinere vitam extremitatis, et pars cito in gangraenam illabitur.

Nunc, his rebus praemissis, opiniones horum auctorum, qui laudant amputationem factam *illico* injuria recepta, ineam ; et primus Pott, nam praeteribo scripta illorum praecedentium eum. Ille vir ingeniosus et solertissimus chirurgus, de fracturis ossium compositis loquens, ni fallor, perspicue comprobavit, non solum commodum derivari ab amputatione facta *sine mora* in quibusdam casibus, verum etiam ejus necessitatem inevitabilem. Postea memorando arguenda propitia ad hunc modum medendi, et

dando exempla quae ea exigunt, sic ait :
“ Reasons, which (notwithstanding any
“ thing that may be said to the contrary)
“ long and reiterated experience has prov-
“ ed, and which are vindicable upon every
“ principle of humanity, or chirurgic know-
“ ledge.”

M. Larrey, cuius sententiam alibi pre-
dixi, qui in lucem hanc rem multis exem-
plis edidit, sic loquitur : “ Les premières
“ vingt-quatre heures sont les seules heures
“ de calme que conserve la nature, et dont
“ il faut se hâter de profiter, comme dans
“ toutes les maladies dangereuses, pour ad-
“ ministrer le remede nécessaire.” In alio
loco (ait) “ si les blessures qui lesent deux
“ membres à la fois sont de nature à exiger
“ l'amputation, on ne doit pas craindre de
“ les amputer tous deux immédiatement
“ sans laisser d' intervalle.”

Dominus Guthrie, in alia parte hujus opusculi antea dictus, in libro replete scientia et multa experientia in his rebus, strenue affirmat, et compluribus casibus illustrat, quando membrum adeo vulneratur ut amputationem postulet, hanc debere fieri inter spatium viginti quatuor horarum, priusquam inflammatio supervenit. Sed eodem tempore monet nos expectare dum aeger ab commotione injuriae recuperaverit, et vulnus doluerit ad tactum, et rigidum, quod accedit plerumque ab tribus ad sex horas. Caeteroquin si artus detrunatur, priusquam sistema nonnihil ab trepidatione convaluerit, vires hominis tolerare nequeunt operationem additam injuriae priori, et cito ille morte corripitur. Doctor Thomson, Professor de Chirurgia Militari, sententiis traditis supra assentit, ut audivi in praelectionibus ejus egregiis.

In opiniones horum auctorum, quos jam memoravi, inductus sum libentissime inire ; quod dum interfui, cum exercitu Britannico, expeditionibus duabus bellicis, haud pauca exempla obtulerunt sese mihi, quae, si mens rite me monuit, clarissime has opiniones illustraverunt ; et liceat mihi hic dicere, me iterum atque iterum petuisse amicos medicos me certiorem facere, de hac resumma, et omnes in eandem sententiam ac me iniisse.

Nunc hoc opusculum ad finem perducam, addendo, haud infreque[n]ter officium deducendi sauciatos, post magnum certamen, ab campo praelii ad nosocomium militare, me sortitum esse. Gemitus horum fortium, et acerbissimos cruciatus, quos toleraverunt in itinere, praesertim illorum, qui amputationem non sustinuerunt, simul

cum anxietate, quae in animo mihi se profunde infixit, quia vix ullum solamen potui praebere, meminero quoad vivam.

FINIS.

Excudebat C. STEWART.